

Petrus Tomicki vicecancellarius, Sigismun:  
do primo regi Poloniae.

254

Sacra regia maiestas et domine domine cle:  
mentissime. Post humilem servitutis et oratio:  
num mearum commendationem. Non dubito me  
minisse maiestatem vestram, quemadmodum con:  
troversia inter Joannem Platner mercatorem et  
civem Norembergensem, et Lucam Rasek civem  
Posnaniensem fuit a maiestate vestra semel  
et iterum civibus Posnaniensibus ad iudicandu  
commissa, que tamen quoniam hucusque pro:  
pter eorundem civium Posnaniensium varias sen:  
tentias et acceptionem personarum, finem cape:  
re non potuit, est iam et partibus sumptuosa,  
et civibus ipsis admodum molesta facta. Quare  
scripserunt huc ad me nonnulli amici mei li:  
teras, illis me rogantes ut maiestati vestra  
supplicarem, ne hanc causam longioribus liti:  
bus extrahi pati, sed illam ad se iudiciumque  
suum advocare dignaretur. Quam rem quia ego  
ad utilitatem et concordiam, quietemque civium sub:  
ditorum maiestatis vestrae pertinere plurimum  
arbitror, supplico ista ratione maiestati vestrae  
serenissime, ut vel ipsa ad se advocare, vel cir:  
vibus Cracoviensibus vel Thoruncensibus iudican:  
dam hanc causam committere dignetur. Nul:  
la enim alia ratione celerius hac res finem  
suum capere, et Posnanienses cives molestia  
et difficultate liberare potest. Maiestati autem

vestrae

vestra summopere convenit et est utile ad am-  
 plificandum nomen suum et gloriam, subditoru  
 negotia et actiones cito et sine magno sumptu  
 expedire. Commendo me servituteque meam in  
 gratiam maiestatis vestre serenissima, quam fe-  
 licissimam esse et diutissime incolumem cum  
 serenissima coniuge et liberis suis vehementer  
 et ex animo Desidero. Datum 1529.